



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vera Sapientia**

**Pinamonti, Giovanni Pietro  
Segneri, Paolo**

**Coloniae, Anno M.D.CCVI.**

**VD18 12664146**

Infernus est omnium miseriarum abyssus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

---

CONSIDERATIO VIII.  
PRO DIE DOMINICA.

Infernus.

PUNCTUM I.

Quid sit Infernus.

*Terra miseria & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Job. IO 22.*

I. **C**ONsidera quid sit infernus. Infernus carcer est infelicissimus, refertissimus malis omnibus, uti omni bono inanissimus. Scito igitur, quòd, quemadmodum damnati sensibus omnibus corporis, ac animæ facultatibus offenderunt Deum, ità quoque sensibus omnibus, omnibusque facultatibus sint horribiliter puniendi. Torquebuntur oculi horrore tenebrosi  
car-

carceris, fumo maleolente, sulphureo igne, aliorum damnatorum dæmonumque horrifico aspectu, quorum quilibet tam fœdâ deformitate erit formidabilis, ut S. Catharina Senensis, visâ tantùm obiter illorum imagine, ausa sit scribere in suis dialogis: nudis ambulaturam se pedibus super ignes, ad extremum usque iudicii diem potius, quàm rursùm spectaret tam horrendam tartareorum spirituum figuram. Aures porrò non audient quidquam, nisi gemitus, lamenta, suspiria, ejulatus, dentium stridores, fremitus, ululatus, & maledicta ac blasphemias. Quòd si canis ululans, citra aurium torturam audiri non possit, audire continuè dissonam illam atque feralem damnatorum lugentium musicam, quantum erit supplicium? Odo- ratus affligetur dirissimè fœtore loci, velut omnium sentinæ immunditiarum, graveolentiâ sulphuris, & illorummet fœtentissimorum corporum, quorum quodlibet, juxta S. Bonaventuram, supra terras protractum, totum, **D** quàm

quàm latè patet, orbem, pestiferâ lue infecturum esset. Non inferior erit pœna gustûs, qui draconum felle, veneno aspidum, tame, siâque, sinè refocillatione torquebitur. O! quàm forent ibi delicatæ promulsides, stabulorum nostrorum camerinæ, & spurcissimæ sordidarum cloacarum foricæ, neque tamen vel istas, ad aliquod sitis refrigerium, dabitur degustare. Quid autem de tactu dicam? qui si gravius, sensibus cæteris, offendit Deum, graviores etiam, cæteris omnibus, pœnas dabit. Recenseas licet plagas, verbera, nervorum extensiones, vulnera, dolores viscerum, spasmos, convulsiones, ustulationes. Aliæ plagæ, verbera alia, alii spasmi, flammæ alia nos manent, in peccato lethifero morituros. Omnes nostri dolores, his comparati, ficti sunt, ignes picti, non veri. Quæle erit spectaculum, Deum bonum! videre hominem nobilem, isto manè decumbentem lecto olorino, strato byssino, ab omnibus cultum, honoratum, adoratum, hoc ipso vespere mortuum, in lecto

lecto igneo deferri ad gehennam, à  
dæmonibus conculcari, diris devoveri  
à sociis, fremere, rabiosèque volutari,  
quin potis sit, vel in alterum latus se  
circùm agere. Quale tormentum, re-  
cordari præteritarum voluptatum,  
quæ tandem abiêre in hæc tormenta,  
sine spe redemptionis! Ad hæc intel-  
lectus, ignorantia excæcatus cogitare  
non poterit, nisi quæ summè affligunt,  
voluntas, in malo obstinata, plenâque  
desperatione, averfabitur usque, quod  
fugere non poterit; invidabit, sinè fa-  
cultate nocendi, desiderabit, sinè spe  
assequendi. En terminum, ad quem  
ducit demum trames peccato-  
rum. Quid tibi videtur? nun-  
quid stultum est, eò,  
citra curam ultrà  
progredi,

